



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 29. Miscellanea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

re armatas. O quam securus in Mundi palæstram ibis hūcturus cum carne, & palam triumphatus de hostibus; si in solitudine prius cum vitijs conferuisti manus. Id. ib.

In utero supplantavit fratrem acum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit. Of. 12. 3.

Quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quam viriliter in majori certamine stete possitis. S. Bernardus l. de S. Clemente P. M.

§. XXIX.

Miscellaneous.

Pellem pro pelle. Job. 2. 4. Intendit Sathan dicere: quod amissionem possessionum, & natorum, Job patienter toleraverit propter corporis sui salutem; & quod hoc non erat magnæ virtutis, sed erat humanum, & apud omnes homines consuetum. Et hoc est, quod dicitur: homo quicumque, etiam non virtuosus, dabit de facili pellem pro pelle, id est, carnem alienam pro carne sua: sustinet enim homo non virtuosus, ut quicumque alij, etiam quantumcumque conjuncti, potius corpore affligatur, quam ipse S. Thom. Aqu. hic lect. 1.

Calicem salutaris accipiam. Pf. 115. 13. Digna quidem promissio; sed, si in humanis viribus ponatur, periculosa præsumptio. Quis enim potest Confessoribus tormentorum patientiam dare, nisi ille, qui pro nobis dignatus est calicem Passionis accipere? Nam ut hoc impossibile humanæ virtuti absolute monstraret, secutus est: *& nomen Domini invocabo.* Cassiodorus hic,

Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. 2. Cor. 6. 4. S. Chrysof. hom. 12. hic: non simpliciter patientiam dixit, sed *multam*: neque enim unum aliquod, aut alterum incommodum perferre, magnæ laudi ducendum est. apud Did. Nils. Pol. cœl. p. 2. l. 20. c. 3.

§. XXX.

Impatientia.

QUI in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisei Dominum agnoscere debuerunt; patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Tertull. l. de pat. c. 3.

Omne peccatum impatientia adscribendum. Malum impatientia est boni. Id. ib. c. 5.

Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo jam tunc, cum Dominum Deum universa opera, quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini, subjecisset, impatienter tulit. Id. ib. c. 5.

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut à malis eruantur; sed ut mala graviora patiantur. S. August. l. de pat. c. 2.

Qui tribulanti se irascitur, quasi puer scabiosus est, qui matri lavanti caput irascitur, & convitiatur. Hugo Card. in Prov. 17. 13.

Impatientia est signum privati amoris, & elationis. Dion. Carth. in Luc. 21.

Impatiens homo semper est querulus, sicut currus, qui semper stridet; sive in bona, sive in mala via sit. Geminiani c. 37.

TITULUS X.

S. PAULUS.

§. I.

*Figura.**Ex Veteri, Novo, & alijs.*

PLANTAVIT Dominus Deus paradysum voluptatis. Gen. 2. 8. Nihil prorsus erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, & paradysum spiritualem, Pauli animum nuncupaverit. Unde & mirabiles nobis fluvios genuit: non secundum paradysi fontes quatuor tantum; sed multo etiam plures, & quotidie fluentes; nec terram rigantes, sed animas hominum, ad producendum virtutum germina fuscitantes. S. Chrysof. hom. 1. de laud. S. Pauli Ap.

Noe quidem Gen. 8. tantummodo legitur se servasse cum liberis; hic autem multo saviore Mundi inundante, diluviò, non arcam coaptando compagibus tabularum, sed epistolas componendo: non duos, vel tres, aut quinque cognatos; sed universum prorsus orbem mer-

Polyanth. Sacra, Tom. II.

gi periclitantem, ex medijs fluctibus liberavit. Id. ib.

At illa venit portans rramum olivæ. Gen. 8. 11. Potest significari S. Paulus per hanc columbam: quia enim olivæ misericordiam significat, congruè per rramum olivæ accipitur nomen Jesu Christi, quod etiam misericordiam significat. S. Thom. Aqu. in ep. S. Pauli in prologo ad Rom.

Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis. Gen. 29. 20. Quænam est illa adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ servitium pro sponsa pertulit Christi; non adustus solum æstu diei, & noctis gelu; sed tentationes mille perpetuens. S. Chrysof. antè citatus.

Vidit Benjamin fratrem suum uterinum & erumpebant lacrymæ. Gen. 43. 29. 30. &c. Vidit Joseph Benjamin fratrem suum ex una matre, & lacrymatus est: vidit Jesus Paulum savientem in Ecclesiam matrem, & miseratus est. Act. 9. 4. Benjaminino minori fratri

T t

ampliora